

AUSONE

LIBRI DE FASTIS (CONCLUSIO) (23 vers)

AUSONIUS HESPERIO FILIO SAL.

F_1 v.1 Ignota aeternae ne sint tibi tempora Romae,
 2 regibus et patrum ducta sub imperiis,
 3 digessi fastos et nomina praepetis aevi,
 4 sparsa jacent Latiam si qua per historiam.
 5 Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes :
 6 obsequitur studio nostra lucerna tuo.
 7 Tu quoque venturos per longum consere Janos,
 8 ut mea digessit pagina praeteritos.
 9 Exemplum jam patris habes, ut protinus et te
 10 adgreget Ausoniis purpura consulibus.

SUPPUTATIO AB URBE CONDITA IN CONSULATUM NOSTRUM ANNIS

F_2 v.1 Annis undecies centum conjunge quaternos,
 2 undecies unumque super trieterida necte.
 3 Haec erit aeternae series ab origine Romae.

IN FINE EIUSDEM LIBRI ADDITI

F_3 v.1 Hactenus adscripsi fastos. Si sors volet, ultra
 2 adiciam : si non, qui legis, adicies.
 3 Scire cupis, qui sim ? Titulum, qui quartus ab imo est,
 4 quaere : leges nomen consulis Ausonii.

DE EODEM

F_4 v.1 Urbis ab aeternae deductam rege Quirino
 2 annorum seriem cum, Procule, accipies,
 3 mille annos centumque et bis fluxisse novenos
 4 consulis Ausonii nomen ad usque leges.
 5 Fors erit, ut, lustrum cum se cumulaverit istis,
 6 confectam Proculus signet Olympiadam.